Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2113
Quelle:
Copyright:

di, *Procopii*, *Ludmilae*, *Elisabeth*, *Hedwigis*, mox arbitratus sum ad *Bohemiam* pertinere. Rem evictam dedit, quod e *fol.* postremo cum fide huc transfero. *Obiit dominus Hroznata abbas anno Domini M° CCC° XL° VIII°. VIII Kal. Marcij Item obiit dominus Neplach abbas anno Domini M° CCC° LXXI°. XVI Kal. Octobris. Item obiit Dominus Johannes dictus orlik anno Domini M° CCC° LXXXIX° XVII Kal. Aprilis. Item obiit Dominus Petrus dictus Laczur solemnis abbas anno Domini M° CCCC° XV°. XVII° Kal. Januarij.* Cuinam vero Coenobio hos Viros praefuisse dices? *Opatovicensi* in Provincia *Reginaebradecena* a *Wratislao* I. sub exitum Sec. XI. fundato, et ab *Hussitis* a. 1420. eversо. Huc me deduxit ipse *Neplacho* ope *Chronici* sui *Bohemiae*, quod nobis *Hier. Pezius* T. II. *Scriptt. Rer. Austr. col.* 1005. dedit. Ait in eo, se anno 1332. susceptum ad ordinem *per Hroznatam praedecessorem* suum; annum vero electionis suae non exprimit. Hic igitur e Codice nostro conficitur. Ita et annus ejus postremus, de quo *Pezius* in *Observat. praeviis* subdubitans, qui tamen successorem ejus *Johannem* recte adsignavit. An is ex superstite adhuc *Orlikiorum* stirpe fuit? De *Petro Laczur* tradit *Hagecius* cum aliis, dire tortum a *Johanne Miestecky* post 9. hebdomadas interiisse. Thesauros nempe Monasterii, de quibus mira ferebantur, prodere nolebat, cujusmodi Thesauri non illo solum Seculo somniati fuere.

DCCCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 406. 8. nitide scriptus, et multo minio distinctus aliud ejusdem Ordinis *Breviarium* est praecedente Calendario adminiculis omnibus chronologicis ab a. 1477. ad a. 1496. instructo, in quo ad 15. *Jan.* notatur *Conradus Abbas*, videlicet *Lunaelacensis* hac die, teste Chronico *Lunael.* p. 123. anno 1145. trucidatus, et ad diem 18. *Vdilo fundator* hujus Coenobii Dux *Bojariae*. Mensis *Maji* die 8. pro *Apparitione* legitur *Victoria S. Michaelis*, et *Decembr.* die 11. *Tassilo fundator huius ecclesie*, eo nempe sensu, quod *Utilonis* patris donationes *Lunaelacensibus* confirmavit et auxit. Calendarium excipiunt aliae Computus ecclesiastici Tabellae, item *Tabula signorum Lune*, et Directio ad Venam aperiendam secundum XII. Signa, cui tamen sapienter additum: *Indigentibus nulla lex posita est, et ideo talibus nec signum nec hore expectande sunt.* In ipso Chori Officio nihil peculiare, nisi fortasse *fol.* 394. p. 2. Ritus lotionis pedum inscriptus *De mandato pauperum in die Cene*, et *De mandato fratrum in die Cene.* Pauperum pedes solus Abbas et Prior lavabant aquam adfundentibus Cellario et Vestiario; Fratrum vero, qui *induti floccis sed exuti caligis* conveniebant,

R. 3343